Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 469
Quelle:
Copyright:

drini de ſpiritu Sancto. Vir hic, quamvis ab infantia privatus oculorum uſu, mire profecerat in profanis, ſacrisque literis, dumque illi *Hieronymus* inter *Viros illuſtr.* c. 109. texeret elogium, jam annum 83. vivendo exceſſerat. Audiit illum *Alexandriae* docentem cum fructu *Hieronymus*, neque contentus praeſens etiam doctiſſimum ejus Opuſculum latinum fecit, quod jam graece non extat. Verſionem noſtram habes inter *Hier. Opera* edit. *Maur.* T. IV. P. I. *Append. col.* 493. et edit. *Vallarſ.* T. II. *col.* 105. Seorſim, et quidem in *tres* diviſum *Libros* contra Autoris et Interpretis mentem, prodiit *Helmeſtad.* ſtudio *Job. a Fuchte* 1614. 8. Nobis in *Capita* XXIII. tribuitur. *Hieronymi* Praefatio ad *Paulinianum* directa eſt, quod Titulus noſter diſſimulat. Diſſimulare tamen ego non poſſum, in hac Praefatione ab Editoribus hactenus prave poſitum fuiſſe: *poſt Romuli caſam et ludorum Lupercalia*, pro quo recte Codex noſter: *ludorum Lupercal.* Quid enim eſſent *ludorum Lupercalia*, niſi *ludorum ludi?* Non ita ταυτολογος *Hieronymus*; ſed, cum ei de locis res eſſet, *diverſorio Mariae* et *Salvatoris ſpeluncae caſam Romuli* et ſpeluncam *Pani* in monte *Palatino* dicatam, dictamque Λυκειον id eſt *Lupercal*, unde feſti Ludi *Lupercalia* adpellabantur, obponit. Ceterum *Codicis* lectio ſatis proba eſt.

II. *fol.* 36. *Incipit Ambroſius de bono mortis.* Hoc tenore: *Quoniam de anima ſuperiore libro ſermonem aliquem contexuimus* &c. Habetur edit. *Maur. Pariſ.* 1686. T. I. *col.* 389. Nobis absque diviſione in Capita decurrit, textu ſat caſtigato. Mox ſub ingreſſum pro: *ſpirandi munere frui* legitur: *fungi.*

III. *fol.* 54. *Ambroſius de yſaac et anima.* Opuſculo huic priores deberi, vel ex initio praecedentis patet. Itaque T. *cit. col.* 355. occurrit. Ejus ingreſſus eſt: *In patre nobis ſancti yſaac uel origo ſatis expreſſa eſt uel gratia* &c. In progreſſu lectionis: *exiuit in campum abalienari*, mallem, quam *abalienare*, quod habent Edita, ubi Hebraeus לשׂוח, Interpretes ἀδολεσχῆσαι, ὁμιλῆσαι, λαλῆσαι, nempe τοῖς ἰδίοις λογισμοῖς, unde Vulg. *ad meditandum*, quaſi ſecum agendum, et mentem ab aliis curis abſtrahendam, cui utique vox paſſiva *abalienari* melius reſpondet. Mox in Editis *Enos autem qui aſſumſit et ſperavit* &c. τὸ *qui* redundare videtur, quod etiam Codex omittit. Suſpicor etiam paullo poſt cum Codice legendum: *manifeſta viri interpretatione* pro *veri.* Quamvis enim *Ambroſius* hic *Enos* cum *Enoch* confundat, ad ſignificationem tamen vocis אנוש *Homo* alludere illum conjicio &c.

IV. *fol.* 75. p. 2. *De cura rei familiaris Bernhardus.* Non utique *Claraevallenſis*, ſed *Silveſter* ille ſaepius relatus ad *Raymundum militem* epiſtola, quae inſit: *Doceri petis a me de cura et modo rei fami-*